

*modificaverunt*

ses ad prodigionem invitant, mercede promissa non parva; qui, sicut vocales amici [a], Ravennatum votis aures flectere non dubitaverunt [b]. A Ravennatibus præterea missi quidam Sathanæ trapezitae [c] Bononiensium rectores eorumque consiliarios ad Ravennatum amicissim flectere laborant pro posse; qui verbum ini-  
quum et dolum [d] audire nolentes, cum rubore legatos expellunt. Abeunt nuncii, in proximo redeunt, instant assidue, offerunt multa, plura promittunt. Sed heu quæ non mortalium pectora cogit auri sacra famæ? Quid non perficit veneranda multitudo ga-  
tarum? Certe soluta conglutinat, compacta enervat,

*diruit, qædificat, mutat quadrata rotundis.*

Quibus morbis, quibusque vulneribus illud pretiosissimum auri argenteque antidotum? profecto omnes sanat negrotos, infirmitates cunctas expellit surdos præterea facit audire et mutos loqui. Hoc quidem antidoto, immo pharmacœ, in vicis et triviis sparso, quod nefas fuerit [f] secreto audire, jam factum est sanctum publice prædicare. Datur denique sp̄epe promissum, incipitur diu optatum; fugiunt jura, pacta solvuntur, principatus iniquitas [g], amicitia exulat [h], carceratur societas, saevit Bellona [i]; Pauci tamen inventi sunt numero, quibus carius fuit æquum equo [j], qui veritatis præcepes medicinam præfaram prædixerunt pestiferam. Sed hi, qui inter tot? Anno igitur Domini MCLXX primo, viii die [k] mensis martii Bononienses et Imolenses cum toto suo comitatu, excepto Erro de Malpilio [l], et comes Malvicinus [m] cum suis, manu armata venerunt Faventiam, villam Sancti Proculi hostiliter pertractantes. Quod cum iuvenes audissent, credere minime potuerunt; amicissim enim cum illis infra breve tempus renovaverant. Tandem, auditio rumore, et fumo viso qui rem declarabat, hostibus obviam exire festinant, et quos ab hospitali Sancti Egidii [A] usque ad Sanctum Proculum repererunt, remunerarunt pro meritis. Porro apud [n] pontem [B], per

[a] *vocales amici*. Sic Codd.; forte idem sonat ac *amici di nome*, vel potius *venales*. — [b] *non dubitaverunt*. Sic C. V. In C. M., dubia lectio; Cl. Mitt. legit *modificaverunt*. An legere oportet *non difficultaverunt?* — [c] *Sathanæ trapezitae*. Sic Codd. M. et A.; idest argento mercantes. — [d] *qui verbum iniquum et dolum*, C. M.; *quod verbum iniquum et dolosum*, C. V. — [e] *antidoto, immo pharmaco*. In Codd. sic: *antidoto, immo pharmacœ*. — [f] *quod nefas fuerit*, C. V. et cl. Mitt.; Cod. tamen M. potest legi etiam sic: *quod nefas fuerat*. — [g] *principatus iniquitas*. Sic legit cl. Mitt. In Codd. M. et V. habetur: *pacta solvuntur principatus iniquitas*. — [h] *amicitia exulat*, Codd. M. et V. In C. A., *amicitia exultat*. — [i] *saevit Bellona*, cl. Mitt.; seu ita *Bellona*, Codd. M. et V. An, *saevit ita Bellona*, legendum? — [j] *carius fuit æquum equo*. Sic lego quidem. In Codd., *carius fuit equum equo*. — [k] viii die. Sic C. M.; *die octavo*, C. V.; *die quinto*, C. A. — [l] *excepto Erro de Malpilio*. Sic C. M.; *excepto Ereo de Nalpilio*, C. V.; *excepto Serro de Valpilio*, C. A. — [m] *comes Malvicinus*. Sic Codd. omnes hic. — [n] *Porro apud*, Codd. V. et A.; *Porto apud*, C. M.

[A] *Hospitale Sancti Aegidii* erat extra portam Imolensem, ubi nunc S. Maria del Paradiso.

[B] *Apud Pontem*, nempe *Sancti Proculi*, qui est supra Sennium.